

LITERÆ

Et

SCRIPTA,

in quibus continentur

tam Gravamina,

quæ

RESPUBLICA
POLONIAE

contra

REGEM
BORUSSIAE

nuper exhibuit,

quam Responsiones,

quibus Gravamina ista

plane dissolvuntur.

Anno MDCCXXV,

14
vel potius Responsiones
Auctor hujus Scriptæ
Wahnd
Johannes Regi Præficus
in Supremo Tribunali
Secretarius et Confiliarius
Litem Advocatus
Rijer.

LITTERAE

SECRETAE

in quibus continentur

Acta Convocationis

1792

RES PUBLICA

E XX 1352

POLONIAE

1792

REGEM

RUSSIAE

inter exhibuit

quam Responsum

quibus Convocationis illa

plura exhibuerunt

Anno 1792



Augustus Secundus Dei gratia,
Rex Poloniae &c. &c. Ad Literas M^{tis} V^{rae}
ex occasione Causae Thorunensis Nobis
traditas Responsum nostrum ideo distuleramus, ut
post reditum ad Regnum nostrum super contentis ea-
rundem exploratos habere potuissemus Senatorum
& Ministrorum Status ejusdem Regni nostri sensus.
Quibus perceptis, hoc nobis in respondendo expri-
mendum venit: Quod nunquam minus a quopiam
Principum Protestantium, quam a M^{te} V^{ra} spe-
rabamus, tot & tales contra latam in eadem causa
per Judicium nostrum Allessoriale executionique man-
datam legitime Sententiam non sine animi nostri
sensu accipere querimonias. Quandoquidem au-
tem Generosi de Schwerin in Conferentia cum De-
putatis Senatorii & Equestris Ordinis ex immediate
celebratis Comitibus Regni Generalibus injuncta, inter
alia etiam in hocce negotio Thorunensi Punctum no-

mine Majt̄is V^{rae} propofuerunt, responfumque habuerunt; Idcirco ad hocce Refponfum proximeque futuram reaffumptionem Comitiorum ulteriorem mentis noſtræ ex ſenſu & aſſenſu Ordinum Regni explicationem jure merito differre neceſſum habemus.

Interea Majt̄i V^{rae} Memoriale nuper nobis a Reverendiſſimo in Chriſto Patre, Domino Archi-Epiſcopo Gneſnenſi, Primate Regni Primoque Principe nomine publico exhibitum communicamus per Generoſum Ulricum Fridericum de Suhm, Conſiliarium belli privatum noſtrum apud Majt̄em V^{ram} Ablegatum Extraordinarium, una cum remonſtrationibus opportunis. Et quemadmodum votis publicis deeſſe non poſſumus, ita Majt̄em V^{ram} requirimus, ut contenta hujusmodi Memorialis accommodare quantocius non intermittat, perindeque conatus noſtros ad manutenendam Pacem & inalterabilem amicitiam ſecundet, res ad extrema non deducendo.

Hæc Majt̄i V^{rae} impenſius commendantes, & non tantum Cathegoricam in Reſponſo Declarationem, ſed & realem ad vota publica Satisfactionem præſtolantes, Eidem circa Divini Numinis tutelam proſperos rerum ſucceſſus ex animo apprecamur. Dabantur Varſaviae die prima menſis Octobris, Anno Domini MDCCXXV. Regni vero N^{tri} XXIX. anno.

Ad Regem Pruſſiæ.

Sa-

Sacra Regia Majestas.

Siquidem Aula Berolinensis tot & tantas injurias
 publicas contra vim & tenorem pactorum an-
 teriorum nec non formam Regiminis attenta-
 re non cessat; Signanter *vero Homagium* eventuale (1)
 Sæ Regiæ Majestati Vestræ & Reipublicæ per ea-
 dem pacta stipulatum *prestare non curat*, Ecclesias
 Romano-Catholicas, sacerdotesque ac ministros earun-
 dem in Prussia Ducali existentes, *Juribus, Jurisdictioni-* (2)
bus ac redditibus ab antiquo vigore dictorum Pactorum
sibi competentibus spoliare, aliusque plurimis molestiis
 & angariis per Edicta sua nova, & nunquam super di-
 vinis peragendis practicata, tum per comminationes
 exilii, præsertim ab Ecclesia Lindana, vexare non de-
 sistit; præterea contra Recessum de Anno 1612. Re-
 giomontanum in præjudicium *Confessionis Augustanæ*
Religionem Calvinisticam promovere, templa ma- (3)
gnifica exstruere, ac personas ejusdem Religionis in
 officiis primariis cum summo gravamine Lutherano-
 rum Terrigenarum collocare præsumit; justissima
 Reipublicæ desideria ratione *Ecclesiæ Lisnoviensis* (4)
Romano-Catholicis restituende, propugnaculi Bol-
werck-Schanz ac domui vigiliarum in suburbio Elbin- (5)
genfi milite Brandenburgico infessæ evacuandorum,
Salis Transmarini Elbingam sine omni impeditio- (6)

ne invehendi, Commerciorumque non impediendo-
 rum, & *Capitationis a colonis Elbingensibus levanda*,
 (7) tum ratione *violentissimæ hominum per mili-*
 (8) *tes Brandenburgicos abductionis* amplius non at-
 tentandæ, aliaque toties exposita minime attendere,
 quin imo quasi consulto majora in dies præjudicia in-
 ferre, injuriasque accumulare non intermittit: Id-
 circo S^a R^a M^{ti} V^a D^{no} N^{ro} Cl^{mo} nomine publico &
 omnium Injuriatorum supplicatur, quatenus vigore
 eminentis & altissimi Domini sui & Reipublicæ even-
 tualis, tum ex vi prædictorum pactorum, Aulam Be-
 rolinensem obligationis & officii sui admonere, Eam-
 que autoritate sua requirere dignetur, ut memora-
 tas injurias publicas reparare, congruam satisfactio-
 nem præparare, omnesque status ac incolas & sub-
 ditos tam regni quam proprios iisdem juribus & li-
 bertatibus, quibus olim gaudebant, et secundum
 præscriptas Leges Pactorum anteriorum, formæ Re-
 giminis prorsus immutatæ, & Recessuum gaudere
 debent, restituat & restitui procuret intra spa-
 tium a S^a R^a M^{state} designandum; alias pro certo per-
 suasa, quod jure Reppressaliorum seu naturalis de-
 fensionis de more gentium unicuique in tali casu lici-
 to, non solum Ecclesiæ Dissidentium in Regno Po-
 loniæ & M. D. Lithuanix omnes ex mandato meo Me-
 tropolitano & cœterorum Dominorum Episcoporum

obfigillabuntur, Prædicantes sequeſtrabuntur, ſed etiam poſt tot læſæ patientiæ documenta injuriati ad ar-
 cendas, propuſſandas & vindicandas injurias publi-
 cas & privatas cogentur implorare deſuper Sæ Ræ
 M^{tiſ} Væ auxilium, tum per extraditionem literarum
 Reſtium vulgo **Wici** ad confinantes Palatinus &
 Diſtrictus, tum per obligationem Supremorum &
 Campeſtrium Ducum utriuſque Gentis ſuper extra-
 dendis mandatis ad milites in confiniis hybernantes.

Et quoniam intereſt, ut ſtatus Reipublicæ præ-
 ſens perturbatus & nimis ambiguus ex occaſione com-
 minationum & terriſſamentorum bellicorum a Po-
 tentiis Proteſtantibus, ex hac dubia & periculofa in-
 certitudine quantocius educatur & reſolvatur, maxi-
 me ut ſciat Republica fata ſua, & tempeſtive op-
 portunas capere poſſit meſuras Belli vel Pacis; Proin-
 de hæc neceſſitas nos Senatores & Miniſtros Status ad
 latus Principis commorantes obligat, ad ſupplicandum
 Sæ Ræ Majti Væ, quatenus vel reaſſumptio limitatorum
 Comitiorum Generalium cum extraditione literarum
 Reſtium vulgo **Wici** na Poſpolite Ruſzenie
 ad obviandum ſubitis caſibus ingruentis hoſtilitatis de-
 terminetur, vel interpoſita paterna cura & ſollicitudine
 Sæ

Sæ Ræ Mus Vra declaratio certa & cathgorica ab iisdem Potentiis Protestantibus subsequatur, quod amplius non per abruptas vias & violentas extremitates, sed pacifico modo per officia amica intercedant pro Dissidentibus, nostris domesticis, culpabiliter & perniciosè exotica subsidia contra rationem status & leges patrias in convulsionem tranquillitatis publicæ quarentibus & fomentantibus.

Sacrae Regiæ Majestatis Vestrae

Domini mei Clementissimi

humillimus Servus

Theodorus Potocki,

Archi-Episcopus & Primas.

Sæ

Serenissime &c.

Ex literis Maj^{ti}s V^{rae} de Ima Octobris per Ministrum suum hic commorantem de Suhm nobis recte redditis lætanti animo perspeximus, manere Sibi consuetam hucusque inter nos animorum conjunctionem immutabiliter colendi jugiterque conservandi laudabile propositum, & a nobis vicissim pares demonstrationes expectari, quæque porro de pervulgato Thorunenſi negotio, & a Reverendissimo Regni Primate Maj^{ti} V^{rae} oblato Memoriali subjiciuntur. Principio Maj^{ti} V^{rae} quam certissime persuasum esse cupimus, a primo tempore suscepti Regiminis hucusque haud ulli rei majori cura intentos Nos fuisse, quam ut perfectam sinceram amicitiam, confidentiam, & concordem animorum conjunctionem cum Maj^{te} V^{ra} observaremus, inclutæque Genti Poloniae quavis oblata occasione manifestum faceremus, quantum apud nos valeat eximia, quam pro Ea fovemus, existimatio, Quo studio illius commoda & prosperitatem haud minus ac proprias nostras rationes prosequamur, & quod pro levissimo judicamus, hujus sinceri nostri in Inclutam Rempublicam Poloniae singulaque Ejus membra affectus documento, qua sollicitudine Pactorum, quæ cum Maj^{te} V^{ra} & memorata Republica nobis intercedunt, observatio a Nobis curetur, cavendo, ne a Nobis quicquam, ne minimum quidem fiat, quod vel in speciem iis adversari videatur.

Hinc est, quod tanto altius in animum nostrum descenderint, quæ hoc nostrum propositum, per hoc tempus, hinc inde in finistrum & plane contrarium sensum deflexere interpretationes, in tantum, ut prorsus inculpari videremur, nonnulla tentasse & suscepisse, quæ in læsionem Præminentiaë Statusque Rationum Inclutæ Reipublicæ Polonæ tenderent, illiusque juribus vim inferrent.

Id vero extra dubium ejusmodi homines autores habet, qui præsentem Gentis Polonæ prosperum & pacatum statum limis oculis intuentes, Majestatem Vram & Rempublicam per diffidentias, fastidia & collisiones nobiscum committere satagunt, ut ex ea discordia captatis sua opinione commodis citius potiantur.

Quin ex ipso Reverend^{mi} Primatis Majest^{ti} Vre oblato & ab Ea ad Nos transmissio Memoriali adparere videtur, Primarium hunc Senatorem ab hujusmodi perversæ intentionis hominibus præoccupatum inanes & a specie veri longe alienas ideas hausisse, quibus Nos haud rectius obviam ire posse confidimus, quam si per oppositas illi Memoriali scripto conceptas & heic subjectas contrarias responsiones evidenter & sole meridiano clarius demonstraverimus, quantopere, qui nobis se præbent iniquos, Revd^{mi} Primatis digna, quæ illi tanquam primo Senatori Reipublicæ merito incumbit, quamque cum immortalis sua gloria pro salute &

& incolumitate Reipublicæ impendit sollicitudine abutantur, quamque omnia illa contra nos jaçtata conficta sint, & omni probatione destituantur.

Quoniam autem hujusmodi gravamina & accusationes per memorialia & epistolas ex integro examinari & componi ægrè possunt, quod in Nostriſ Responsionibus fecimus, idem etiam Majtⁱ V^{rae} offerimus, promptitudinem scilicet, constitutum hoc fine in ipsis Paçtis modum, nominandorum ab utraque parte Commissariorum libenter admittendi, aut si Majtⁱ V^{rae} & Reipublicæ magis convenire videatur, Extraneas Potentias, & nominatim a nostra parte Coronas Gallia & Magnæ Britannia, pro Mediatoribus adhibendi, relicto Majtⁱ V^{rae} & Inclutæ Reipublicæ arbitrio, quos alios ex sua parte in hanc rem appellaturi sint, certi, in præſenti rerum statu & occasione a Nobis nihil ultra exigi posse.

Quod ad Negotium Thorunense attinet, quæ à Majte V^{ra} in supradictis suis literis injecta sunt, *nihil minus expectatum sibi accidisse, quam quod a nobis hac in causâ representationes factæ sint*, non satis capimus.

Sane haud minus nobis quam aliis à natura pariter inditum imperatumque est, miserorum calamitatem dolere, eisque succurere.

Sed & exempla tot aliarum Evangelicarum Potentiarum, quæ in simili casu socios fidei suæ verbis

scriptisque sublevarunt, pro injustis aut illicitis adeo habita non sunt, ut potius à potentissimis Europæ Principibus per solennes Tractatus pro legitimis agnita fuerint.

Neque credibile videtur, Nobis solis hac in re ulla ratione præclusum esse jus humanæ societatis, aut Majestem Vram Pacis Olivenfis collatam nobis Guarantiam adeo reprobaturam esse, ut super Punctis in ea comprehensis cum Majte Vra ne quidem per literas amice agendi facultas nobis sit:

Neque arbitramur, in geminis ad Majestem Vram in hac materia dimissis epistolis, quibus dolorem super negotio Thorunensi conceptum quodammodo expressum dedimus, præterea quicquam contineri, quod cum eximia, quam Majti Vrae, Inclutæ Republicæ, & universæ Genti habemus, consideratione & æstimatione consistere nequeat.

Præter illas duas Majestati Vestræ perscriptas epistolas non recordamur, quicquam a nobis factum esse, unde vel minima amicitia & bonæ viciniae læsio colligi possit: Quin imo, quid in Comitibus nuper limitatis & proxime reassumendis tractandum, & quæ Majtis Vrae & Republicæ declaratio in hac causa futura sit, tranquillo animo hucusque præstolamur.

Quid vero exorto in Polonia ingenti rumori, quasi a nobis aliisque Evangelicis Potentiis hujus
Tho-

Thorunenſis negotii cauſa bellum in Poloniam moveatur & hoſtilia intententur, cauſam dederit, plane ignoramus: Neque liquet, unde hujusmodi intentio inferri queat, cum pro expediendis tam difficiliſus conſiliis quicquam parari nuſquam appareat, forte ne cogitarum quidem ſit, aut deſignatum.

Neque aliam, quantum nobis quidem conſtat, omnium Evangelicorum Principum, qui in Thorunenſi & reliquis in Polonia religionis negotiis officia ſua haecenus interpoſuerunt, mentem eſſe Majſti Vrae pro vero adfirmamus, quam ut quicquid ejus eſt negotii, amicabili modo, omni vel leviſſima facti via excluſa, per ejuſmodi expedientia & temperamenta dirimi queat, quibus neque Legibus & Conſtitutionibus Regni Poloniae, neque Gloriae & Rationibus Majſtis Vrae & Reipublicae vel minimum quidpiam decerpatur.

Certum haecenus dictorum experimentum capere ſi lubeat Majſti Vrae, non alio opus eſt, niſi ut ex ſua parte Deputatos deſignet, qui cum Evangelicorum Principum Miniſtris colloquia inſtituant, negotium examinent, & de eo componendo in certas quae modo dictae ſunt rationes conſentiant; Nos quicquid in Noſtra poteſtate eſt, pro earum acceptance prona voluntate conferemus, neque de exoptato ſucceſſu quicquam dubitamus &c. &c. Berolini, Sexta Novembris die 1725.

Ad Regem Poloniae.

Sa.

Responsio Regis Prusſiæ ad Memo- riale Reverendiſſimi Dni. Primatis :

Sæ Ræ M^{tis} Prusſiæ ea ſemper exitit in Reveren-
diſſimum Principem, Dominum Primatem &
Archi-Epiſcopum Gneſnenſem modernum, non
magis ob eximium generis ſplendorem, quam ob ex-
ceſſa toto orbe celebrata merita & virtutum orna-
menta, cum veneratione conjuncta exiſtimatio, tanta
colendæ Sibi cum, non finibus tantum, ſed inſuper
æterni fœderis vinculis conjuncto Regno Reque-
Publica Poloniæ, bonæ viciniæ fiducia, ut non niſi a-
cerbiſſimo animi dolore excipere potuerit, primario
huic Senatori & Principi Reipublicæ tam ſiniſtras de
Se ſuiſque geſtis cum Republica hucusque negotiis
impreſſiones factas ſuggeſtasque eſſe.

Ea vero cuncta, cum non niſi ambiguis fictio-
nibus & ejusmodi accuſationibus nitantur, quibus ho-
mines Sæ Ræ M^{tis} inſenſi hujus Summi Præſulis ani-
mum falſo præoccupare & ab Ea avertere conantur,
haud dubiè a consummata ejus prudentiâ & ſueta animi
æquitate ſperatur fore, ut perſpecta genuina rei veritate,
quam hic dilucide explicare propoſitum eſt, aliam
mentem induere, & de ſincera Sæ Ræ M^{tis} erga Se, erga
Rempublicam, & univerſam tot eximiis virtutibus in-
clutam Gentem intentione, ſtudioque omnis generis
amicitiæ bonæque viciniæ officiorum, longe aliter

ſen-

fentire incipiat. Etenim, quod ad

Imum

in prætacto Memoriali contentum punctum attinet, sane Sa Ra M^{tas} Prusfiæ, ubi primum de recipiendo Regiomonti homagio statuerat, non omisit, Sæ Ræ M^{ri} Poloniae, longe antequam perageretur negotium, de eo per geminatas epistolas significare, utque suos ad hoc Plenipotentiariorum congruentibus mandatis, ad recipiendum pro Rege & Regno Poloniae eventuale homagium, instructos ablegare vellet, rogare. Cumque in subsequenti responso Sa Ra Maj^{tas} Poloniae hujusmodi legationem declinaret, Sa Ra M^{tas} Prusfiæ autem protectionem ea de causa in Prusfiam suscepisset, & in loco præsens adesset, ne tam longi itineris gravis sane molestia & pares molestiæ sumtus, Ordinumque haud minore impendio convocatorum congressus frustra forent, homagii quidem præstandi solennia differri nequivere; attamen, ut competenti Regno Poloniae juri eventualis successione, quantum fieri posset, prospiceretur, ejusque pro actu præsentis justa debitaque ratio haberetur, curavit Sa Ra M^{tas}, formulam jurisjurandi, quo universi Status & incolæ solenniter in fidem & subjectionem obstringebantur, *conceptis expressisque verbis ita præscribi, ut reservatum Pactis Velaviensibus Regno Poloniae Jus eventualis successione una completeretur, adeoque non Sibi tantum & Domui Brandenburg;*

burgicæ, verum & Regi Regnoque Poloniæ publice, & eadem, qua Sibi ipsi, forma, eventuale homagium præstaretur. Et ne quid deesset, universæ rei gestæ ordo eodem die, quo actus homagialis solennia peracta sunt, S. R^x M^{ti} Poloniæ singulari epistola significabatur, cum adjecta assecuratione, quod si Divina providentia sic jubente Domum Brandenburgicam deficere contingat, rem perinde valituram, & S. R^{am} M^{tem} cum tota posteritate sua, ratione hujus pariter ac cæterorum, quibus ex sua parte per pacta Velaviensia Regno Poloniæ tenetur, promissorum, *æque obstrictam & devinctam fore, ac si ab eo, Regno Delegati actui homagiali præsentis adfuissent;* neque minus liberum & licitum fore Regibus & Reipublicæ Poloniæ, calu in futurum eveniente, hujusmodi Delegatos eo sine dimittere.

Eam verò declarationem cum tota rei gestæ serie S. R^a M^{tas} Poloniæ ratam acceptamque se habere testata est per literas in hoc ad S. R^m M^{tem} Prusiæ expeditas, quarum cum reliquis a Regibus utrinque super hoc negotio reciprocatis literis descripta exempla hic adjiciuntur.

Nec apparet S. R^x M^{ti} Prusiæ, postquam tota res eo quo hæctenus narratum est ordine transacta est, quale vel levissimum detrimentum sive R^x M^{ti} Poloniæ sive ipsi Regno Reique-publicæ, ratione competentis illis in Prussia Brandenburgica eventualis successionis juris, emergere queat.

Non Regiæ Majti, quoniam placuisse Sibi, quæ acta erant omnia, haud dubie non sine prævia matura deliberatione significavit. Multo minus Reipublicæ, cui, quoniam immortalis est, vigore pactorum Velavientium eorumque factæ & aliquoties reiteratæ renovationis, perinde ac antecedentium homagialium actuum, jus adeo firmum hujus successionis quæsitum est, ut nullo mortalitatis eventu, quacunque ratione illa contingat, interverti possit, etiamsi homagii actus nunquam repetatur.

Objicitur equidem ex parte Poloniæ, S. R^m M^{tem} Prusfiæ propter regiam qua nunc pollet dignitatem in causa esse, cur Deputati Poloni actui homagiali adesse nequiverint. Hoc vero impedimentum facili negotio tolleretur, si Reipublicæ Poloniæ hos suos Deputatos certo caractere Legatorum vel Ablegatorum insignire placeret, illisque tunc S. R^a M^{tas} Prusfiæ consuetos in aliis Aulis Europæis honores, qui de cætero in Pactis Bydgostiensibus definiti non sunt, tribueret. Enimvero, postquam S^a R^a M^{tas} Prusfiæ omnium supremo jure dominantium assensu non in Europa modo, sed & Asiæ Africæque plurimum ac potentiorum, pro Rege agnita est, nulla in orbe maiore ratione evincetur, conveniens esse, ut in hoc homagiali actu regiam suam dignitatem deponat, eumque secundum consuetum olim rituale celebrandum admittat, & homagium Sibi tanquam nudo Duci Prus-

Prusſiæ, aut Electori Brandenburgico, ſine ulla Regiſ nominis & dignitatis mentione aut demonſtratione præſtari patiatur.

Porro hujusmodi poſtulatam, quo a S. R^a M^{te} petitur, ut recognitionem Suam a Republica Poloniæ duris adeo conditionibus redimat, tanto magis inſolens eſt, quod S. R^a M^{tas} Ejusque Parens glorioſæ memoriæ, innumeris vicibus declararunt, Ipſaque porro declarat, per eam ab univerſa Europa Sibi attributam Regiam dignationem *honores quidem nonnullos, Jurium veronihil*, minime omnium autem quicquam, *quod in præjudicium aut detrimentum Reipublicæ Poloniæ tendat*, Sibi acceſſiſſe, ſeque hujus intuitu in eadem obligatione, eodemque nexu, & iisdem præſtandis, quæ Regem Prusſiæ perſtare, quibus ante hac, qua Dux in Prusſia, intuitu Regum & Coronæ Poloniæ tenebatur, neque novam Regis Prusſiæ dignitatem hac in parte ullam, ne minimam quidem imminutionem aut immutationem facere poſſe vel debere.

Ad 2^{dum}

Quod ad Secundum in Memoriali Reverendiſſimi Primatis relatam accuſationem attinet, nempe cultui Romano-Catholico dicatas Eccleſias & Sacerdotes in Prusſia Brandenburgica juribus ſuis & redditibus privari, diſcreſis oneribus prægavari, ſpecialiter

au-

autem Jesuitas apud sic dictam Lindam dimissione & proscriptione terreri, principio quidem palam notum vulgatumque est, Catholicos in S. R^æ M^{tis} Prusiacis Provinciis a tempore satis longo plenissima quiete & libertate perfrui, nec ea tantum, quæ per pacta Velaviensia jure illis competebant, sine turbatione possedisse, sed per conniventiam Officialium Regionum, quamvis sine S. R^æ M^{tis} tanquam Supremi Imperantis accedente approbatione, pro extensione suæ Religionis exercitii haud pauca etiam illis indulta esse, quæ tenor dictorum pactorum illis negabat.

Quod nisi infausta illa Thorunensis laniena, & continuatæ inque singulos dies longius procedentes diræ Evangelicorum in Polonia & Lithuania persecutiones intercessissent, fieri potuisset, ut hæc Catholicorum in Prussia Brandenburgica tolerantia multo longius, & ultra quam cogitari possit, in statum illis multum proficuum adolesceret. Posteaquam vero S^a R^æ M^{tas} Prusiacæ, memoratis illis in Polonia vigentibus persecutionibus Religionis causa & exinde in universum orbem Christianum pervagatis rumoribus, vivido moderationis suæ & in rem Catholicam in terris Prusiacæ Brandenburgicæ exercitæ lenitatis sensu commota, edoceri voluit, utrum omnia a Catholicis hæctenus usurpata pactis essent consentanea, an vero per ea leges pactorum violarentur & infringerentur, nihil erit cur S. R. M^{tis} quisquam succenseat, quod ob eam causam in-

G 2

qui-

quisitionem instituerit, & necessitate sic exigente, a Romano-Catholicis in Prussia degentibus Clericis rationem reddi postulaverit, aut porro postulet, quo jure quoque titulo hoc vel illud jus, cujus nulla in pactis mentio reperitur, usurpent.

Eam vero inquisitionem & informationem suscipere tanto magis intererat S. R^æ M^{ts}, quod in Pactis Velaviensibus unica tantum publica ecclesia Romano-Catholica commemoratur, cum e contrario manifestum sit, hoc tempore earum in Prussia Brandenburgica non contemnendum numerum existere, quæ cultui secundum ritum Romano-Catholicum publicè & solenniter peragendo serviant, frequenti concursu de vicinia hominum eam Religionem profitentium: sed & spectabile Jesuitarum Collegium intra provinciam conditum est, ac non pauci hujus instituti viri hinc inde dispersi domicilium ibidem constituerunt, qui tamen, quod summopere mirandum, non ipsi solum pro S. R^æ M^{te} tanquam supremo territorii principe, ordinatas in S. Dei Verbo expressè præceptas publicas preces recitare recusant, sed & cœtus suos occulto & parum perspecto sine dicere prohibent.

Quo in statu res Collegii Jesuitici apud dictam sanctam Tiliam s. Lindam noviter instituti per susceptam in loco inquisitionem reperta sit, cum de eo instituto in Pactis ne minimum quidem vestigium appareat,

reat, & in oppido Tilsit paria tentare Catholicis in Polonia propositum esse intelligatur, singulari scripto typis vulgatum omnium oculis subjicere necessarium habetur, non ea quidem mente & consilio, ut quod S. R^æ M^{ti} ratione hujus Collegii ex præscripto Paëtorum circa ejusmodi in Religione innovationes de jure face- re licet, in effectum dedicatur & executione manda- tur; verum ut palam fiat, quantum distet a rigore & severitate, quam Evangelici in Polonia & Lithu- niana experiuntur, summa S. R^æ Maj^{tis} quam Romano-Catholicis in Prussia terris indulget mansuetudo, benignitas & conniventia, quantumque æquitas postu- let, aliqualem saltem proportionem & æqualitatem inter illa adhiberi, idque eo magis ob evidentem ra- tionem, quod Romano-Catholici pro introducendis om- nibus hujusmodi in Prussia Brandenburgica innovati- onibus, nihil omnino juris aut præsidii neque ex Paëtis neque aliunde habeant, cum econtrario Dissidentes in Polonia contra quotidianas in se attentatas innovati- ones sancitis publicis juribus & fundamentis muni- antur.

Quemadmodum autem nemini cuiquam Roma- no-Catholicorum in Prussia, non modo de iis quæ vi- gore paëtorum tenet, sed ne de his quidem, quæ præ- terea per usurpationem nactus est, quicquam hucusque ereptum, aut de juribus & redditibus, qui in possessio- ne Catholicorum hætenus fuere, vel obolus subtra-

Etus est; pariter declarat S. R^a M^{tas} verbo suo Regali, in futurum se operam daturam, ne querularum causa eis præbeatur, dummodo spes qualiscunque superfit, fore ut quæ decenti cum moderatione & pro Regno Poloniæ ac universa gente debita consideratione, super præsentì Evangelicarum Ecclesiarum in Polonia & Lithuania conditione faciendæ sunt instantiæ & representationes, pronis animis suscipiantur, & secundum normam Evangelii, juris & æquitatis definiantur.

Ad 3^{tium}

TEmplum pro usu Reformati Cœtus Regiomonti exstructum esse haud equidem negatur, neque tamen id in Pactis usquam prohibitum est. Pro hac unica vero Reformata Ecclesia plurimæ Catholicæ, adeoque quod jam supra memoratum est, integrum Collegium Jesuiticum, cum omnibus necessariis ædificiis & magnifica Ecclesia, nullo jure aut e Pactis elicienda concessione excitatum est & fundatum.

Quem Reverendissimus Primas allegat Recessum de A^o 1612. de his tantum hominibus disponit, qui ad magistratus & officia gerenda vocantur, hos nimirum universos Augustanæ Confessioni addictos esse oportere. Neque etiam huic in contrarium à S. R^a M^{te} quicquam admissum est, pauci enim illi, qui

in Prussia Brandenburgica publicis officiis admoven-
 tur, siue illi Lutheranorum siue Reformatorum no-
 mine veniant, universim Augustanam Confessionem
 profitentur. Ut autem ex his, qui inter Augustanæ
 confessioni addictos Reformati appellantur, aliqui
 in Collegia Prusfiaca adsumerentur, ipsa necessitas
 urgebat, ut qui haud exiguo numero per illas terras
 accreuerunt Reformatæ confessionis incolæ minus
 tergiversarentur, in causis suis & negotiis dictorum
 Collegiorum decisis & sententiis se submittere, si
 ea membris etiam suæ confessioni addictis consta-
 rent.

Quandocquidem autem, quæ in jam dicto Re-
 cessu A. 1612. statuuntur, in eum finem unice ten-
 dunt, ut incolumitati provinciæ magis consulatur,
 & detrimento, quod ab administratione Regiminis,
 si ea hominibus à Lutherana Religione alienis confe-
 ratur, exoriri posset, occurratur, S. R^a M^{tas} autem
 hucusque eam moderationem hac in re provide ad-
 hibuit, quæ indigenis Lutheranæ Confessionis nul-
 lam ne minimam querelarum materiam præbuit;
 confidit S. R^a M^{tas}, serenissimum Regem inclutamque
 Rempublicam eâ æquitate fore, ut memores pacto-
 rum Velaviensium, quibus supremum dominium
 cum summa atque absoluta potestate in Prusiam
 Brandenburgicam, tam in sacris quam profanis, te-
 nendum & exercendum Ei concessum est, Reges
 autem

autem & Regnum Poloniæ ab incolis terrarum Brandeburgo-Prusiacarum super hujusmodi causis *qualescunque querelas se non admissuros neque suscepturos sponponderunt*, hoc & similibus aliis interna & domestica terrarum Prusiæ Brandenburgicæ concernentibus negotiis, ultra quam per Pacta licitum est, se non immisceant, eandemque Reverendissimi Primatis mentem etiam esse speratur.

Denique præcipuum, quod hic considerari & singulariter observari meretur, hoc est, quod in ipsis pactis Velaviensibus, eorumque articulo XVI. in fine, *Confessio Evangelico-Reformata in ipsa Prussia expressis verbis stabilitur, & vigore eorundem pactorum Republica Poloniæ allegato loco luculenter promittit, “ quod si aliquando Prussia Brandenburgica ad Poloniam reversura sit, nihil in detrimentum tum illius tum Lutheranae Religionis attentandi fas licitumque futurum; “* quo ipso effectivè non solum quæ in favorem Reformatae Religionis in Prussia Brandenburgica *hactenus ordinata & introducta sunt, verum etiam, quicquid ultra usque ad ipsum caducitatis casum, ordinari & introduci contigerit, valida & inviolabilia pronunciantur.*

Ad 4^{tum}

In causa porro *Ecclesiae Lisnoviensis*, ex his, quæ a Reverendissimo Primате afferuntur, abunde colligere est, non pervenisse ad ejus notitiam a S. R.

M^{te}

M^{te} jam pridem anno 1722. pro justitia fuorum in hoc negotio haectenus actorum exposita, & Excellentissimo Regni Cancellario scripto tunc exhibita argumenta.

Apparebit exinde Reverendissimo Primati, si eam inspicere placuerit, primordiale fundamentum hujus ecclesiae sub expressa lege & conditione factam esse:

Ut ad eam nunquam alius, nisi Augustanae Confessioni, ejusque juxta corpus doctrinae Prutenicum & Formulam Concordiae, pura nec ullo modo suspectae doctrinae addictus Pastor vocetur, in casum neglectae hujus conditionis, jure Pastorem ejusmodi vocandi, Serenissimo Concedenti disertis verbis reservato.

Concedet igitur haud dubie Reverendissimus Praesul, Jus Patronatus Lisnoviense, modum illud exercendi, & quicquid de eo controversiarum oriri potest, ex primordiali hac Juris Patronatus Concessione decidendum esse.

Ad normam & formam hujus Concessionis sequentibus temporibus non alii, nisi Evangelici sacrorum administri, hujus ecclesiae Pastores sunt constituti, id quod, si desideretur, in continenti probari potest. Cumque deinceps a^o 1612. Vir primarius Catholicis sacris addictus, nomine Johannes Baro Berlevicius, pagum illum acquisivisset, ac pro eo Sigis-

mundus III. Rex Poloniae tunc sceptrum gerens apud Electorem Johannem Sigismundum intercederet, ut nimirum dicto Persecutio Catholici ritus exercitium eâ in ecclesia indulgeretur, res per delegatos singulariter in eam Commissarios examinata, judicata & decisa est, nimirum:

Ut integrum de Ecclesia Lisnoviensi ejusque Pastore negotium in statu pristino relinquatur, neque circa illud quicquam immutetur.

Insuper sequenti anno 1617. idem Rex Poloniae expresse & notanter declaravit:

Se in Religionis negotio nihil diversum a prioribus Pactis, Recesibus & Decretis constituturum.

Succedente tempore bona Leistenau in Capitaneum wituensium, liberum Baronem de Bieberstein Orzechowski, & tandem anno 1684. ad Tribunalum militare, Strem, emtionis jure transiere, verum sub expressa & tabulis emtionis venditionis dicti anni 1684. insertâ conditione:

Ut jus Patronatus ibidem in emtorem translatum hic non aliter quàm eo modo & jure, quo illud ipse venditor cum antecedentibus possessoribus tenuit, possedit & exercuit, tenere, possidere atque exercere valeat.

Qui quidem Contractus ab Electore Friderico Wilhelmo gloriose memoriae 14. April: ejusd. anni expressis verbis confirmatus est.

Non equidem negatur, nonnullos e dictis possessio-
ribus, ac nominatim Orzechovvium, an. 1674. sacerdo-
tem Religioni Romano-Catholicæ addictum ad eam
ecclesiam vocasse, idque etiam per aliquod tempus,
non equidem cum approbatione supremi territorii
Domini, cujus contrarium e confirmatione supra al-
legati Contractus anni 1684. manifestum est, sed uni-
ce per conniventiam Officialium Brandenburgico-
rum, tranquillitatem conscientiæ in hujusmodi negotiis
Religionem concernentibus haud facile cuiquam in-
videntium, continuatum esse. An vero, & quousque
hujusmodi patientia contra concepta verba ante-me-
moratæ primordialis Concessionis, & contra supre-
mi territorialis Domini in eam Ecclesiam competen-
tia jura Sacrorum & Ecclesiastica validum & perpe-
tuum jus ecclesiæ tribuere, tantæque in ea innova-
tioni justum titulum suppeditare valeat, ad orbis ju-
sti & æqui amantis judicium desuper fidenter provo-
catur, cum imprimis ipsa Pacta Velaviensia Art. xvi.
diserte præscribant & statuunt:

*Quod Exercitium Religionis Romano-Catholicæ,
prout ante bellum Suecicum ejus temporis vigere debue-
rat, restitui & conservari debeat.*

In templo vero Lisnoviensi exercitium istius Re-
ligionis ante hoc ipsum bellum nullo unquam tempo-
re vigere debuisset. Unde citra dubium A. 1674. &
sic longe post bellum Suecicum & post conclusa eo

fnito A. 1657. p̄cta Velaviensia, Baro Orzechowski Pastorem Romano-Catholicum in ecclesiam Lisnoviensem tantum intrufisse dicendus est, quia omnino juxta sæpe allegatum primordiale Privilegium nullus alius nisi Augustanæ Confessioni addictus Pastor ad ecclesiam Lisnoviensem vocari ullo tempore debuit. Quod si diversum sentientibus Polonis in mentem veniat asserere, fas esse Patrono Catholico in Prussia Brandenburgica ecclesiæ Evangelicæ possessionem acquirenti, in eam suæ religionis exercitium, quod fecit Orzechowius, inducere, idem certe jus ex paritate rationis moderno ecclesiæ Lisnoviensis patrono Evangelicam religionem profitenti denegare nemo, quod speratur, sustinebit.

Cuneta hæc, quamvis adeo luculenta & firmo fundamento innixa agnoscantur, ut in contrarium quicquam allegari posse haud appareat; nihilominus tamen S. R. M^{tas} & obtulit identidem & adhuc offert, si quæ quomodocunque fundatæ exceptiones in medium offerri posse cuiquam videntur, consentire in omnia, quæ p̄cta Velaviensia Art. XVI. in eum casum exigunt & præscribunt, nimirum

ut ejusmodi controversiæ à Communisariis à Serenitate Sua Electorali ex utraque Religione pari numero constituendis componantur vel decidantur.

Cui consequenter justitiam adeo promptam &

omni

omni partium studio vacuam administraturam se S. R. M^{tas} pollicetur, qua Poloniæ desideriiis abunde satisfiat.

Quamquam, cur Respublica Poloniæ huic negotio intercedere nitatur, nulla causa appareat. A patris Velaviensibus jus fasque accersere adeo nullum potest, ut magis etiam earum vigore domestica negotia Prussiæ Brandenburgicæ respicere, querelasque inde super interno statu earum terrarum ad eam forte perferendas audire aut admittere, plane prohibeatur, quousque prædictæ terræ Prussiæ supremo Brandenburgicorum dominio subiectæ erunt.

Ad 5^{um}

Ad gravamen, super propugnaculo Bollvvercks-Schantz dicto, facilis est responsio, illudque à S. R. M^{te} optimo jure occupatum esse, prompta demonstratio; Nimirum sola inspectio Tractatus retraditæ Elbingæ Art. V. & situs, quem dictum propugnaculum occupat, rei abunde satisfaciet.

Dicto Tractatus Articulo statuitur, jus fasque fore S. R. M^{ti} Prussiæ, *integrum territorium* civitatis Elbingensis occupare & in possessionem recipere.

Quodsi verò locum, ubi memoratum propugnaculum positum est, recte inspicias, is ipsum est Elbingense territorium, unde porro irrefragabilis & meridiano sole lucidior consequentia elicitur, S. R. M^{tem}

integrū territorium Elbingense secundum literam tractatus non occupasse, neque possidere, nisi una propugnaculum hoc teneat, nec ab alio detineri patiatur.

Neque magis vel minima specie juris obtendi potest, hanc Bollvvercks-Schantz partem munimentorum urbis Elbingensis facere, cum ab ea plus integro milliari disita sit, unde consequitur, non tanquam munimentorum oppidi, sed territorii, in quo sita est, partem considerari debere.

Hinc statim ab initio fortalitium hoc a parte Brandenburgicorum indubie occupatum, & præsidio Brandenburgico munitum fuisset, nisi id pro ratione illius temporis armis infesti, per vices tum Suedicus, tum Russicus, denique Saxonicus miles insedisset.

Posteaquam vero diversæ illæ copiæ tandem fortalitio excessere, illudque vacuum reliquere, nullum omnino obstaculum apparet, quo S. R. M^{tes} Prusisæ jure suo in univ^{er}sū Elbingense territorium, ex pacto cum Republica Poloniæ sibi quæsito, uti, & hoc quoque fortalitium ad dictum territorium pertinens in suam potestatem redigere prohibeatur.

Præterea, cum in Tractatu retraditæ Elbingæ Art. V. disertis verbis cautum sit, ne qua fortalitia in territorio Elbingensi a S. R. M^{te}, quamdiu in ejus possessione futura est, noviter exstruantur, dubio procul, ratione hujus Bollvvercks-Schantz, exceptio aliqua aut limitatio apponi debuisset, si ea mens supremo-
rum

rum Paciscentium tunc fuisset, ne illam quidem à S. R. M^{te} occupari debere, cujus tamen in Tractatu nullum ne vestigium quidem invenitur.

Quod ad Domum, Vigiliarum dictam, attinet, quæ jussu S^x R^x M^{tis} in suburbio quodam oppidi Elbingensis exstructa dicitur, tam in ipso oppido Elbingensi, & Regiomonti, quam Berolini, quæ illius sit ratio, accuratissime inquisitum fuit, nullibi autem ejusmodi Domus Vigiliarum R^x M^{tis} Borussiae in suburbio aliquo Elbingensi, omni etiam adhibita diligentia reperiri potuit, nec unquam S. R^a M^{tas} Borussiae ad illius exstructionem mandata dedit, aut de illa cogitatum fuit. Quo ipso non tantum hoc gravamen plane tollitur, sed reverendisimo D^{no} Primati exinde etiam apparebit, quam lubrico querelæ Elbingensium nitantur fundamento, & quantopere assistentia Dⁿⁱ Primatis abuterentur, si ille omnibus eorum querimoniis illico fidem ac assensum præbiturus esset, cum hominibus hisce nihil magis curæ cordique sit, quam ut S^x R^x M^{ti} Borussiae Gentis Polonicae odium concilient, licet ad hoc efficiendum non nisi falsis & omni fundamento destitutis utantur argumentis.

Ad 6^{tum},

De salis, quem vocant, Transmarini, quo nomine non minus illum, qui e provinciis S. R^x Majestatis

tis

tis Prusfiæ Magdeburgicis, quam qui e Gallia, Hispania & Scotia affertur, cum omnes æque per mare in Prusfi- am tum orientalem tum occidentalem deferantur, cen- seri æquum est, invectione tot diversis partim typo vul- gatis aliisque scriptis jam pridem ultro citroq; actum, eaque causa cum omnibus, quæ in contrarium ad- ducta sunt, præcipue in novissimo ex parte Branden- burgica edito scripto, cui titulus, *ultima & finalis Demon- stratio*, adeo accurate ventilata & demonstrata est, ut inde fiduciam S. R^a M^{tas} Prusfiæ conceperit, fore, ut aut incluta Respublica Poloniae in deductis acquies- ceret, aut si quod dubium adhuc supersit, quo in momento id singulatim positum esset, specificè de- monstraret, quo facilius ex parte S. R^a M^{tis} Prusfiæ ea difficultas eximeretur. Hoc autem neglecto, placuit Reverendissimo Primati, omnibus illis a parte Prus- fiæ allatis demonstrationibus & dilucidationibus, quasi nullæ unquam factæ essent, silentio dissimula- tis, vice responsi nihil aliud in suo de .ii Septembr. a. c. Memoriali, quam liberum transitum salis Hispani- ci & Gallici Elbingam denuo urgere.

Cuncta, quæ in memoratis scriptis pro Regia Prusfiæ intentione deducta reperiuntur fundamenta huc repetere nimis tædiosum foret.

Proinde Reverendissimus Primas haud invitus concedet S. R^a M^{ti} Prusfiæ, ut referendo se ad ibi de- ducta, eorum aliquot exemplaria denuo hic adjun- gere

gere satis ducat, petens, ut si quid a parte Reipublicæ Poloniæ ad ea replicari expediens videatur, cum R^a M^{te} Prusiæ quam primum communicetur. Neque deerit S. R^a M^{tas} mentem suam porro in eum modum explicare, ut inde novum documentum sui pro justitia & æquitate causæ studii, & in Rempublicam Poloniæ ipsumque Reverendissimum Primatem considerationis manifeste eluceat.

Interim rogatur Reverendissimus Primas, pro consummato suo iudicio sequentia momenta intentius expendere: nimirum in universis Poloniam inter & Prusiam conclusis pactis libertatem commerciorum & navigationis non uni soli parti, & in specie Regni Poloniæ subditis, in alterius, nempe Prusiæ dominio, sed utrique parti, scilicet tam Prusicis subditis in Polonica, quam Polonicis in Prusica ditione, reciproce & eodem per omnia jure concessam esse, & quod alterutra pars in alterius ditione, ratione commercii & navigationis, sibi deberi postulat, idem alteri vicissim concedere necessum habere. Quando itaque urbs Elbingensis S. R^æ M^{ti} in superiores suas Præfecturas salem suum transmarinum Hallensem transvehendum impedit, alienum sibi reputare non debet, si a S. R^a M^{te} salis transmarini ex Hispania & Gallia per suam ditionem inyectione vicissim

cissim prohibeatur. Præsertim cum irrefragabiliter verum sit, & in continenti demonstrandum, Borussia orientalis Dominos jam in XVI. & XVII. Seculo, & quidem non precario sed pro lubitu, & quoties e re ipsorum fuit, omnis generis merces, videlicet frumentum, oleum, lanam, hæc, ferrum, & *in specie quoque sal*, per Elbingam, Dostadium, indeque porro ad Præfecturas Preuschmarck & Preusch-holland, ipsa eadem via, quam modo Elbingenses intercludere & prohibere conantur, navigiis invexisse

Quod si per eam, quæ a S R^a M^{te} Prussiae nunc suscipitur, translationem salis transmarini Hallensis ad *superiorem regionem* Elbingensibus de lucro, quod ex eo facturi fuissent, si dictis Prusiacis Præfecturis & subditis salis Halensis copia facta non fuisset, sed ex urbe Elbinga de sale Hispanico & Gallico sibi porro prospicere necessum habuissent, aliquid decedit, nihil est, quod S. R^a M^{ti} exinde imputare, aut ut liberi commercii & navigationis ex patetis quæsitâ jura impugnare, nedum salis in usum dominiorum & subditorum S. R^a M^{tis} genus definire, aut, ne sale Halensi in propriis suis Provinciis proveniente utatur, legem ponere rite queant.

Quisquis in re sua jure ex lege aut pacto
fibi

sibi competente, utitur nemini facit injuriam, specialiter ne illi quidem, qui sperato aliquo lucro sic privatur, cum ejus tantum damni satisfactio- nem petere possimus, quod nobis in iis rebus in- fertur, quæ ex *obligatione perfecta* nobis debentur; S. R^a M^{tas} & incluta Respublica Poloniæ au- tem, & multo minus oppidum Elbingense, nul- lum perfectum jus ex pactis probare possit, quod Borussia Orientalis incolæ in commodum & pro utilitate Elbingensium Sale semper Gallico aut Hi- spanico uti teneantur,

Quodsi igitur per ulum Salis Halensis in Præ- fecturis Brandenburgico-Borussicis, Borussorum Occidentalium, Polonorum & Lithuanorum sperato sed non debito lucro aliquid decederet, vel etiam illi ex eo detrimenti quid vere caperent, il- lud tamen pro damno non reputandum, neque hoc S. R^æ M^{ti} Borussia magis attribuendum esset, quam qui in fundo suo puteum aperuit, quin amplius ve- næ ad vicinum perveniant.

Porro non opus est multis exponere, univer- sis in Orbe Regnis & Rebuspublicis quotidiano usu stabilitum, justum & laudabile haberi, si quis Sta- tus de necessariis intra suam ditionem arte vel na- tura paratis, suis provinciis prospicere, earumque copiam suppeditare possit, ut ejusmodi mercimo-

nia ex alienis terris illuc fortè inferenda sub pœnis gravissimis prohibeat, cujus rei in ipsa Polonia exempla existunt, cuncta verò in ante memorata Deductione, *ultima & finalis Demonstratio* &c. inscripta, multis verbis luculenter exposita habentur.

De cœtero à sublimi prudentia & consummato judicio, perinde ac a propensa in æquitatem rei & quibus sustinetur rationibus, laudabili Reverendissimi Primatis intentione sperare æquum est, dummodo pauca illa in præsentia per compendium adducta attente considerare in animum inducat, facile deprehensurum, qui ab Elbingensibus desuper cietur clamorem totum vanum & fundamento vacuum esse; dumque S. R^e M^{ti} libertatem commercii & navigationis, ratione Salis Transmarini Halensis, impugnant, ab eadem, ratione Salis Transmarini Gallici & Hispanici, idem illis vicissim negari fas esse; neque indemnificationem illos petere posse ob negotium, in quo nulla juris eorum realis læsio existit: denique S. R^{am} M^{tem} Borussiæ à nemine argui posse, si beneficiorum à Deo & Naturâ Sibi suisque Provinciis concessorum copiam suis terris & subditis pro necessitate faciat, neque eadem cum dispendio distrahendæ e suis Provinciis pecuniæ aliunde invehendi ab Urbe Elbingensi legem sibi præscribi patiatur.

Ad 7^{mum}

Articulus persolvendæ a Colonis Elbingensibus Capitationis, a Reverendissimo Primate utpote capite Cleri Romano-Catholici in Poloniâ, tanto minus, uti spes est, urgebitur, quantò magis Eum decet, pro eò, quo affectus est Christianæ miserationis in egenos & exhaustos homines, animi sensu, in diminutionem potius & sublevationem ejusmodi onerum dictis Colonis, pluribus inundationibus & aliis calamitatibus per hoc tempus jam satis afflictis, largiendam inclinare, quam eosdem magis aggravatos cupere.

Idque respectu S. R. M^{tis} vel ideo æquius & pernecessarium habetur, quia exigua summa, quæ ab his inopibus ad illam collectionem conferenda foret, proventibus S. R. M^{tis} e territorio Elbingensi assignatis utique decederet, indeque debitum, cujus causa Elbinga a Republica S. R. M^{tis} obligata est, magis accresceret.

Plane quandoquidem per literam Tractatu retraditæ Elbingæ expressam universus ususfructus solitus Territorii Elbingensis, sine restrictione ad solos urbis redditus, S. R. M^{tis} scripto concessus est & traditus, consequenter illa etiam, quæ e dicto territorio ad Rempublicam redire consueverant, illuc

computanda veniunt, præcipue cum ne sic quidem expleantur, sed longe infra justam summam cadant, quæ S. R. M^{ti} per iegem dicti Tractatus secundum jus & æquum ex eo territorio legitime percipienda debentur.

Ad 8^{vum}

Sequitur a Reverendissimo Primate adducta querela, quam *violentissimas hominum per milites Brandenburgicos abductions* appellare placuit. De ea vero S. R^a M^{tas} Reverendissimo Primate asseverat, quanto magis hanc accusationem contra se a parte Poloniæ summopere exaggerari & validissime urgeri animadvertit, non alio fine, nisi ut gentis Poloniæ sibi amicissimæ odium in se provocetur, tanto magis seriam & impensam operam se quam cupidissime daturam, ne desuper ulla conquerendi materia Poloniæ porro supeditetur.

Et principio quidem testatur S. R^a M^{tas}, huiusmodi hominum ad militiam coactiones nec imperatas unquam, nec a se approbatas, sed sub pœnis admodum severis potius coercitas, aut si quid tale nihilominus commissum, & quod in tali casu omnino requiritur, evidenter probatum demonstratumque fuerit, in reos summo rigore animadversum, ipsosque per vim abductos
ho-

homines liberos dimissos fuisse. Constat præterea S. R^a M^{ti}, si quando aliqui suorum in ditione Polonica aliquem intercipere conati sunt, a subditis Polonicis quam pessime exceptos, & adeo severa ultione repressos fuisse, ut idem iterum tentandi animum abjecisse merito censendi sint. Cumque talia haud ægre dissimulaverit S. R^a M^{tas}, nec capropter ullas in Poloniam querelas detulerit, irrefragabili argumento testatum facit, adeo non placere sibi ejusmodi tentamina, tamque longe ab iis fovendis se abesse, ut ea potius quam maxime detestetur.

Enimvero, si quos aliquando, quod perhibetur, e ditione Polonica tali modo abductos homines libertati restitutos non fuisse contigit, procul dubio unam ex sequentibus causis intercessisse apparebit: aut enim hi ipsi, qui ejusmodi violentiam in ditione Polonica exercuisse accusabantur, nominatim designari, aut quarum copiarum sodales existerent, & quorsum illi præterite per vim abducti homines delati essent indicari non potuit: aut etiam ipsum factum accusatæ violentiæ, ex eo quod forte res longe aliter gesta esse potuerit, justa sufficientique probatione destitutum fuit: aut denique hi ipsi, qui per vim abducti prætendebantur, ultro & libere in
stipen-

stipendio manere se velle declararunt, & quæ præterea aliæ circumstantiæ oriri possunt, quibus status causæ alteratur & diversam faciem acquirit.

Quoniam vero haud falso colligitur, tum Reverendissimum Primatem, tum universam gentem Polonorum vehementer desiderare, ut hoc negotium pro futuro ejusmodi legibus, quæ omnem querimoniarum causam & materiam amputent, circumscribatur, utque S. R^a M^{tas} exinde nullis amplius ambiguarum aut plane confictarum imputationum molestiis oneretur, neque disfidiorum & diffidentiarum semina inter confines populos ultra spargantur, his omnibus, si quæ jam pullularunt, discordiarum germinibus antequam altiores radices agant præcidendis, & quamprimum penitus extirpandis, hunc modum sincero animo proponit S. R^a M^{tas}, ut nimirum utrinque a Polonica & Prussica parte Commissarii nominentur, qui sine mora in unum conveniant, & hoc legendorum ad arma hominum negotium justis conventionibus ita definiant, & præcautionibus necessariis muniant, ne hujusmodi fastidia unquam excitari amplius valeant. Ad eundem modum cum S. R^a M^{te} Poloniæ, ratione suarum Saxonicarum Provinciarum, bona utrinque

voluntate eadem res placide composita est, cunctisque antehac hinc inde sæpius excitatis querelis finis impositus, ut earum nihil ultra exaudiat.

Hactenus dicta pro confutandis & amolendis à Reverendissimo Primate in suo Memoriali de 11. Septembr. contra S. R^{am} M^{tem} Prussiae propositis gravaminibus, idque breviter quidem sed solidè & firmis argumentis factum esse eò usque confiditur, ut universi orbis æqui bonique amanti, dextri talium æstimatoris iudicium non recusetur neque ambigatur, neminem quisquis ille sit, dummodo sinistrarum in S. R^{am} M^{tem} præoccupationum vacuus, existimaturum, in ullo prædictorum Articulorum vim aut injuriam Reipublicæ & Nationi Polonæ à Se illatam esse, eoque nomine se ad reparationem teneri.

Illud vero plane inexpectatum S. R^æ M^{ti} visum est, quod in eodem Memoriali suo Reverendissimus Primas jurium & libertatum subditis S. R^æ M^{tis} Prusiacis ab antiquo competentium, earumque, ut ipse opinatur, læsionis mentionem injicere sustinuerit.

Perfuasa est S. R^a M^{tas}, nihil tale indicari posse, quamvis mutatis temporibus status etiam mutationem in provinciis absoluta necessitas evincat, insuperque vigore supremi in sua portione Prusiae acquisiti Domini S. R^e M^{ti} haecenus jus fasque abunde competat. Certum est S. R^e M^{ti} (neque aliud ipsa Pacta Velaviensia loquuntur) *ad Rempubliam Poloniae non pertinere, quicquid mutationum in Prussia Brandenburgica contigerit, & quod talis modi querelae ad Regem Regnumque Poloniae nullo modo deferri, aut ab eis admitti debeant, & consequenter manifesta violatio conventionis & pactorum Velaviensium committeretur, si quis in Polonia internis negotiis Prusiae Brandenburgicae se ingerere, & magis etiam, si injurias publicas inde elicere, eaque de causa reparationes & satisfactiones a S. R^a M^{te} postulare animo concipiat.*

De caetero, quod à S. R. M^{te} Poloniae petit Reverendissimus Primas, *ut pro exigenda satisfactione de injuriis à S. R. M^{te} Prusiae Regno Poloniae illatis convocacione generali Nobilitatem ad arma excitet, S. R. M^{em} ad declarandum, Pacem ne? an bellum velit? cogat, reasumptionem limitatorum Regni comitiorum generalium jubeat,*
S.

S. R. M^{ti} suadeat, pro Disfidentibus in Polonia cum lenitate & moderatione, non per abruptas & violentas extremitates intercedere, aut, nisi ista fiant, Reverendissimum Primatem necessitate rei adductum per modum Repressaliarum Tempia Evangelicorum in Polonia obsignaturum, Pastoresque illis præfectos sequestraturum, declarat S. R. M^{tas}, se nullius in Rempublicam Poloniæ inclutamque gentem commissæ injuriæ sibi consciam esse, exempla a Reverendissimo Primате in Memoriali suo exposita præsentis scripto solide refutata esse persuasum habere, & si cuiquam in Polonia adhuc aliquod dubium superesse videatur, ad disceptationem ex præscripto Pactorum per nominatos utrinque Commissarios mandatis congruentibus munitos descendere, eorumque definitionem, aut si id potius habetur, exterorum Principum, singulariter Coronarum Galliæ & Magnæ Britanniæ interpositionem & officia admittere se paratam esse.

Quod ad generalem Nobilitatis ad arma evocationem attinet, ejus liberam potestatem penes S. R. M^{tem} & Rempublicam Poloniæ S. R. M^{tas} esse agnoscit, se vero de hujusmodi violentis modis in gentem Polonam æterno pacto sibi conjunctam ne cogitasse quidem, sed constans immotumque

propositum tenere, cum universa Natione & Republica integræ amicitia & bonorum officiorum consuetudinem colere, neque pati, ut quæ inter utramque partem forte versantur leviores & minoris momenti controversiæ, in collisiones & vias facti erumpant: potius autem in eo esse, ut prædictæ controversiæ eo, quo supra propositum est, modo tollantur; Multum in hoc conferet reassumptio comitiorum, neque alia unquam mens & intentio fuit tum S. R. M^{tas} tum reliquorum Principum Evangelicorum, qui suorum in fide consortium afflictum in Polonia statum in animum admittunt, quam ut totum Dissidentium negotium, ceu inter Christianos fieri æquum est, non nisi cum omnimoda mansuetudine, lenitate, & qualem pro Regno tantâ potentiâ, quâ eminet Polonia, habere par est, consideratione tractetur, procurare, & ut id consequantur, in omnia reconciliationis media, expedientia & temperamenta, quæ nec Juribus Reipublicæ, neque gloriæ & honori Gentis vel minimum deterant, consentire.

Epistolæ, quas ad S. R. M^{tem} Poloniæ in negotio Thorunensi S. R. M^{tas} Prussiæ perscripsit, in omnium manibus sunt.

Judicet

Judicet ex illis quisquis volet, an verbum ullum, quod S. R. M^{te} aut Republicæ Poloniæ abruptas & violentas extremitates minetur, illis contineatur. Utraque epistola non nisi consuetis in talibus casibus & moderatis repræsentationibus absolvitur, neque memoriale ullum aut aliud quidquam a S. R. M^{te} aut Ejus Ministris Status Varisaviæ produci potest, quod belli intentionem aut rupturæ cum Polonia præferat.

Nec minus veritati contrarium est, quod à nonnullis traditur, Sam nimirum R^{am} Maj^{tem} Boruffiæ, si non ipsam ob negotium Thorunense minas Polonis intentasse, tamen alios Evangelicæ religioni adiectos Reges Principesque instigasse & commovisse, ut non tantum injuriosa & contumeliosa in Gentem Polonam verba proferrent, sed in eventum etiam Coronæ Poloniæ ob causam Thorunensem vim & bellum inferrent, Eamque armis aggredierentur. Sa Ra Maj^{tas} autem ratione harum imputationum libentissime libereque se ad ea refert, quæ inter Eam ac præmemoratas Potentias Evangelicas hoc in negotio acta & gesta sunt, utpote quæ unicè semper eò respexerunt, ut illud placidis repræsentationibus mitibusque consiliis amicabiliter componeretur, ita ut nunquam violenta ac inimica ejusmodi media, multoque minus debellatio Gentis

Polonæ Ei in mentem venerint, aut consilia eò tendentia cuiquam fuerint suppeditata vel proposita.

Quæ cum ita sint, nulla causa apparet, cur Reverendissimus Primas Repressaliarum minas, per obsignationem templorum Evangelicorum in Polonia, & sequestrationem ministrorum eas curantium, legitime intentare possit. In Prussia certè in hunc diem ne sacellum quidem, multo minus Ecclesia Catholici ritus intercepta, neque sacerdos quisquam pulsus aut sequestratus est. Unde *non Repressaliæ, sed aggressio & manifesta injuria* dicendæ essent, quas in Memoriali suo Reverendissimus Primas innuit, viæ facti, & in eas crumpere, & pridem *ultra modum pressis in Polonia Evangelicis* majorem afflictionem addere in animum inducat. Talia vero a sublimi prudentia, pietate & pacis studio, quorum eximia documenta passim exteruit Reverendissimus Primas, longe aliena esse, unusquisque imprimis autem S. R^a M^{tas} Prusiæ perfecte & quam certissime persuasum habet.

Sequun-

*Sequuntur Literæ a Rege Polonia ad Regem Borussia, &
a Rege Borussia ad Regem Polonia, super negotio
Homagii utrique Regiomonti præstandi.*

FRIDERICUS WILHELMUS REX BORUSSIAE

&c. &c.

CUm pro ratione Negotiorum Nostrorum
tempus præsens opportunum videatur,
quo in Regnum nostrum Prussiae iter fa-
ciamus, de eo M^{tem} V^{ram} certiozem red-
dere, Eidemque simul significare volui-
mus, ad recipiendum à subditis Nostris jam dicti Regni
Homagium diem decimum proximi mensis Septem-
bris præfixisse, & sicuti juxta tenorem pactorum Byd-
gostiensium vicino Poloniae regno ac Reipublicae
Homagium etiam eventuale à Statibus Prussiae præ-
standum est, ita nulli dubitamus, quin M^{tas} V^{ra} eo rem
dirigere velit, ut pro conservatione istius juris Depu-
tati nomine M^{is} V^{rae} & Reipublicae Regiomonti eodem
tempore nobiscum præsentés adsint.

Occasione hac M^{tem} V^{ram} celare non possumus,
quanquam Ipsamet una cum sanioribus rectèque sen-
tientibus Reipublicae Poloniae Membris quoad Regiam
N^{ram} Dignitatem æquissima ratione Nobis satisfecerit,
nihilominus unum atque alterum inveniri, prout fama

G

fert,

fert, qui proprii commodi stimulo & Reipublicæ veri communisque boni planè oblitus, circa agnitionem Tituli Regii Nobis competentis difficultates prorsus inutiles movere conatur. Satis jam superque literis declaravimus, accepta à piè defuncto Domino parente Nostro Dignitate Regia, pactis perpetuis, quæ M^{tem} V^{ram} & Rempublicam Polonam Nobiscum arctè conjungunt, vel minima in parte derogatum iri nequaquam Nos cogitare, quin potius ista facta tectaque servare Nobis firmiter constitutum sit. Quemadmodum autem per superius adducta, & imprimis per ejusmodi reversales, omnis causa sollicitudinis penitus sublata est, & Regia quoque Dignitas, ad quam manutenendam Deus Ter Optimus Maximus vires atque media nobis concessit, à nemine nisi apertis hostibus antehac in dubium vocata fuit, hi ipsimet verò vi subsecuti de pace Tractatus Ultrajectini justissimo huic postulato Nostro plenè satisfecerint, ita tanto minus nobis ratio superest, vicinæ amicæque & singulariter dilectæ Genti, cujus commoda omni modo promoveri nobis cordi est, & quâ cum Majores Nostri tam arctè nexu colligati fuere, cui pariter quoque indissolubili fœdere addictos Nos fore animum induximus præsentis occasione, vel quoad minimum diffidere, imo spe freti indubia confidimus, M^{tem} V^{ram} in eo quod Nobis tam justè pollicemur, adstipulantem de perficiendo

endo hoc negotio, operam necessariam pro muneris Regii autoritate navaturam esse, ut supradicti Deputati non solum justo tempore, sed etiam sufficienti mandato ejus tenoris, uti dignitas Nostra requirit, instructi Regiomontum adveniant, ibidemque tanquam amici à Nobis queant recipi & admitti. Quod si etenim præter omnem spem alia ratione isthuc venerint, de iis non admittendis certo Nobis constitutum est, atque tunc non præstiti eventualis Homagii neglectio illis ipsis, qui tam æquum oblatum Nostrum recusant, & neutiquam Nobis imputandum erit.

Cæterum conficiendo actui renovationis Patrum cum M^{te} V^{ra} prompti etiam paratique sumus, (modo in eo quoque Regiæ Nostræ Dignitatis ab eaque dependentium prærogativarum justa habeatur ratio) M^{tem} V^{ram} certissime persuasam esse cupientes, nullatenus Nos defuturos in iis omnibus, quæ ab amico sincero & foederato M^{tis} V^{re} ac inclytæ Reipublicæ desiderari unquam possint. Cui perennem incolumitatem & faustissima rerum incrementa animumus apprecamur. Dabantur Berolini die 28. mens. Maji, anno reparatæ salutis M DCC XIV. Regni Nostri secundo.

Ad Regem Polonia.

FRIDERICUS WILHELMUS REX BORUSSIAE

&c. &c.

Renunciatum Nobis est, nonnullos, qui rebus Nostris in Polonia adversantur, & illam, quæ inter Eandem & Nos hæctenus floruit amicitiam quocumque modo turbare cupiunt, in sinistram valde, & quæ omnino Nobis invidiosa est, partem interpretari literas, quas die vigesima octava præteriti mensis Maji ad M^{tem} V^{ram} dedimus, & quibus Eidem diem ad recipiendum in Borussia Nostra Homagium constitutam significavimus.

Scilicet asserere illos comperimus, non alia mente aliove consilio Nos scripsisse istas literas, quam ut Maji V^{rae} & universæ Republicæ minaremur, atque hanc ad agnoscendum Regiæ Nostræ Dignitatis fastigium injecto metu veluti perpelleremus: Quo ipso satis prodidisse dicimur animum Nostrum M^{ti} V^{rae} & inclytæ Genti Polonicæ minus faventem, adeo planè, ut ista omnia, ubi bene perpensa fuerint, Eidem non nisi graviter suspecta esse possint.

Quan-

Quantumvis autem experientia priorum temporum abundè testetur, pie defunctum Parentem atque Avum Nostrum, imo Nosmet ipsos rerum ejusmodi falsarum & ab omni veritatis specie alienarum per homines Domus Nostræ osores & inimicos quam sepius in simulas fuisse: Fatendum tamen nobis est, recentem hanc imputationem eo magis gravem molestamque Nobis fuisse, quo statim ex quo rerum potiti sumus, nihil prius nihilque antiquius habuimus, quam ut fœdera immortalia, quæ Domus Nostra cum M^{te} V^{ra} & Republica Poloniae Magnæ Ducatu Lithuaniae olim iniit, rata Nobis omni tempore religiosaque essent, hoc effectu, ut non modo omni qua possumus cura studioque coleremus spectatam illam amicitiam & conjunctionem, quæ rebus non minus secundis quam adversis Domui Nostræ cum Republica Poloniae à tot retro annis intercessit; Verum etiam, ut eandem ulteriori eoque tam firmo & indissolubili nexu firmaremus, ut nihil humani unquam mutuam hanc benevolentiam immutare aut imminuere posset.

Nec arbitramur quicquam in literis Nostris superius memoratis extare, quod in contrariam partem trahi possit; Totum enim earundem argumentum in eo versatur, promptos paratosque Nos esse, Pacta illa

inter Domum Nostram & serenissimam Rempubli-
cam antiquitus sancita renovare, ac Depuratos, quos
M^{tas} V^{ra} ad Actum Homagii Regi Regnoque Polo-
niæ in eventum præstandi ad Nos ablegare vellet, lu-
bentissimè admittere, petere etiam, ut ad utrumque
actum more Majorum celebrandum, M^{tas} V^{ra} Nobis-
cum convenire, neque inani quæsitiæ Domui Nostræ
Regiæ Dignitatis prætextu ab eo se retineri pati velit.
Qua in re tantum abest, ut quicquam M^{ti} V^{re} & Rei-
publicæ grave & ingratum latere possit, ut potius eo
ipso omnibus, quæ post obitum Divi parentis Nostri
à Nobis, tanquam suæ M^{tis} successore, in Polonia ex-
pectari poterant, abunde nos satisfacisse credamus.

Id quidem per easdem literas monere non du-
bitavimus, ut in utroque hoc actu, quo Homagium
præstari & pacta renovari debent, Dignitatis Regiæ,
qua insigniti sumus, ratio habeatur, nec quicquam
à Nobis exigatur, quod Ei detrimento esse possit.
Enimverò existimavimus nullo negotio id Nobis
concessum iri, posteaquam Regia dignitas Domui
Nostræ illata per universam, qua patet, Europam
agnita fuit, adeò quidem, ut jam parem cum emi-
nentissimis quibusvis regibus locum occupemus, ac
pari cum iisdem honore fruamur. Speravimus in-
super rem tanto expeditiorem fore, quo Divus pa-
rens

rens Noster quovis tempore profectus fuit, se eo qui maxime convenire judicatus fuerit, modo securitatem Reipublicæ Polonicæ super hac re præstituram esse, scilicet cavendo, ne Regia Nostra Dignitas de Juribus, quæ M^{ti} V^{re} & Reipublicæ tam in Borussiam quam alia ratione competunt, quicquam decerpatur, verum illa salva semper, sacra, integra intactaque ferventur.

Quæ cum ita sese habeant, M^{tem} V^{ram} fraternè atque enixè rogamus, ut non solum Ipsa de sincera nostra erga Eandem & Illustrissimam Polonorum Gentem voluntate ac bonæ vicinitatis leges in perpetuum colendi studio certò persuasa esse, verum etiam animos illorum, qui in Republica de Nobis consiliisque nostris finistre sentire solent, ad meliorem opinionem perducere velit.

Nihil enim M^{tas} V^{ra} de candido Nostro erga Rempublicam adfectu, amore atque amicitia, nomine nostro eidem sponderit, quod nobis non sit toto corde gratum & acceptum, & in quo M^{tas} V^{re} omni tempore & oblata occasione non simus liberaturi fidem.

De cætero, cum ad Homagium in Borussia suscipiendum omnia jam dum præparata sint, nobisque proposuerimus iter nostrum in Borussiam Deo adjuvante brevi inire, nulli dubitamus, quin Deputati, quos M^{tas} V^{ra} huic Actui interesse volet, die, quem præstituimus, ibidem nos conveniant mandato congruo instructi, tum quoad Regiam dignitatem nostram, & quæ ad ejusdem decus & honores pertinent, tum quoad reliqua momenta, adedò ut univèrsùm negotium celeriter & ex utriusque partis animi sententia confici queat.

Quod attinet ad Pacta renovanda, ejusdem adhuc sumus sententiæ, quam ad M^{tem} V^{ram} hanc in rem jam perscripsimus, rati, eo ipso omnibus illis quam amplissimè à Nobis satisfieri, ad quæ hac in parte ullo modo obstricti censei possumus, certa spe freti, M^{tem} V^{ram} Inclytamque Rempublicam sua etiam ex parte pari adfectu & in pactorum legibus adimplendis sollicitudine nobis responsuram esse.

Deus O. M. M^{ti} V^{rae} prosperam valetudinem ac ad omne votum & invidiam usque florentem fortunam largiatur. Dabantur die 4. Augusti, anno salutis M DCC. XIV. Regni Nostri secundo.

Ad Regem Poloniae.

FRIDERICUS WILHELMUS REX BORUSSIAE

&c. &c.

CUm Alegato Nostro Extraordinario, de Löllhöffel, mandatum dederimus, ut protinus Varavia ad Maj^{tem} Vram approperearet, gratulaturus Eidem ex parte Nostrâ felicem in-
 tra ditiones Regni sui Poloniae reditum, non quoque hac occasione Maj^{tem} Vram celare duximus augescen-
 tem jam spem Nostram, ipsâ Ejusdem intra limites dicti Regni praesentiâ effectum iri propediem, quô
 communium in praesenti votorum Nostrorum car-
 dinem comprehendere credimus, scilicet ut maturetur
 expeditio Legatorum, qui nomine Maj^{tis} Vrae & Rei-
 publicae unâ, dum Nos ab Ordinibus Regni Nostri
 Prussiae Homagium consuetum decima mensis Se-
 ptembris praesentis anni recepturi sumus, ab iisdem
 & eventuale ad tenorem foederis Nostri perpetui re-
 cipere quirent.

Persuasissima sane Maj^{tas} Vra ipsaque Inclyta Res-
 publica esse possunt, non quidquam sanctius inter
 curas Nostras esse, nisi eam, quam beatissimae me-
 moriae Praedecessores Nostri amicissimae Genti sem-
 per intaminatam praestant Pactorum mutuorum
 H fidem,

fidem, ex Nostrâ etiam parte salvam quoque & incolumem usque eò præstare, ut si quid justî applausus gratique animi ex communi inde Gentis satisfactione illi meruere, Nos gloriæ Nobis ultimæque voluptati ducturi simus, & abundantiori adfectu & officiorum, si datur, pleniori promptitudine & realitate tam erga M^{tem} V^{ram} quàm erga illum demereri. Satisfecimus jam expectationi publicæ & Nostræ huc adusque obligationi, dum primas Pactorum leges adimplendo ad destinatum prædicti Homagii Actum literis, 28^{va} mensis Maji ad M^{tem} V^{ram} datis, Ejusdem Inclytæque Reipublicæ Deputationem pro observando simul competenti jure suo maturari expetiimus, paratumque animum Nostrum ad perficiendam fœderis perpetui solitam confirmationem declaravimus. Quas igitur sincerissimæ voluntatis religionisque candidas primitias cum & hisce denuo offerimus, pari semper fide atque studio, & quæ subsequantium temporum ratio à Nobis exiget, expleturi, vicissim confidimus, Inclytos Reipublicæ Ordines, præeunte tam gloriose tamque feliciter M^{te} V^{ra}, non absimili quoque erga Nos benevolentiam certaturos, atque ex hoc auspiciatò mutuatorum affectuum officiorumque certamine eam in publicum sortem proventuram, quam Superi rectis ad invicem intentionibus parare sueverunt, quæve & Nos regnantes innumeris benedi-

nedictionibus cumulabit, & populos utriusque Regni longæva firmabit felicitate. De cœtero M^{ti} V^{rae} omnigenæ prosperitatis successuumque ex voto continua incrementa ex animo apprecantes. Dabantur Berolini, die XI. Augusti, Anno à Nato Christo M DCC XIV. & Regni Nostri secundo.

Ad Regem Poloniae.

Augustus Secundus Dei gratia
Rex Poloniae &c.

Significationem Maj^{tis} V^{rae}, propositum discendendi in Prussiam, ibique die decima Septembris anni præsentis solennia inaugurationis suæ peragendi continentem, quemadmodum sensibili recepimus animo, ita non sine anxietate ejusdem fateri cogimur, quod non explorato in publico congressu Ordinum Reipublicæ consensu universali, Catheticum ac positivum responsum nequeamus citius Maj^{ti} V^{rae} dare, nisi post convocationem præfatorum Ordinum Reipublicæ ad Comitata Generalia, in quibus, cum hujusmodi importantia negotia

tia ad universos Status spectantia ab universis finaliter soleant resolvi & expediri, in legitima & probante formâ, qualescunque demum alii particulares privatarum personarum, imo etiam unius Ordinis, non conjunctim cum reliquis sive favorabilis sive contrarii sensus, vel demonstrationes civilitatis in consequentiam agnitionis, seu derogationis Tituli alieni trahi, vocabuloque hostium pro zelo jura patriæ defendendi minime nominari, multò minus censeari pro talibus possunt: Nihilominus firmiter Maj^{tem} V^{ram} certificatam reddere volumus, primario super hoc, quod ex parte nostra & totius Reipublicæ omnem congruam propensionem ad conservanda secum jura foederatæ amicitiae toties experietur, quoties placitum fuerit Maj^{ti} V^{rae}, inchoatam nuper Berolini per Magnificum Joannem Przebendovvsky, supremum Regni Thesaurarium, Plenipotentiarium Nostrum & Reipublicæ sufficienti instructione munitum, juxta gradus in eadem præscriptos Tractationem denuò reassumere, ac cum plenariâ Reipublicæ satisfactione concludere per Tractatum novum, cum remotione veterum. Deinde super hoc Maj^{tem} V^{ram} tempestive præcautam esse cupimus, quod casu, quo Commissarios Nostros & Reipublicæ pro termino destinato, ad recipiendum eventuale Homagium à Statibus Prussiæ, primario ob non præmis-

sum

sum prius dictum novum Tractatum cum Maj^{te} V^{ra};
 tum propter difficultates præsentium temporum, aut
 alia justa & rationabilia obstacula, non contingeret
 venire, ut talis transmissio tanquam non studiosa &
 quæsita ac per se innocua, imo alterius partis impe-
 dimento causata, ad præsens & in futurum pro inno-
 xia habeatur, nullumque præjudicium Juribus Regni
 Nostri in casu eventualitatis sit allatum, utpote com-
 modiori alio tempore compensanda, aut ex re & uti-
 litate ejusdem Republicæ suis loco & termino
 implenda. De cætero Maj^{ti} V^{rae} omnigenam pro-
 speritatem à Deo precamur. Dabantur Rydzynæ,
 die XVIII mensis Augusti, anno Domini M DCC
 XIV, Regni vero Nostri XVIII Anno.

Ad Regem Borussiae.

Augustus Secundus Dei gratia
 Rex Poloniae &c.

Intercedens amicitiae cum M^{te} V^{ra} apud Nos
 obtinuit ratio, ut Abligatum Ejus Extraordinari-
 um de Löllhöffel à Lövensprung in conspe-
 ctum Nostrum admiserimus, literasque die XI
 laben-

labentis Berolini datas receperimus: Quibus contenta de reditu in Regnum Nostrum gratulatoria vota uti pleno gratitudinis sinu complexi sumus, ita non minori grati animi sensu eam integri affectus M^{ti} V^{rae} erga Nos & Rempublicam excepimus contestationem, quâ M^{tas} V^{ri} Prædecessorum fuorum insistendo vestigiis, vivam memoriam, rectam æstimationem, & justam recognitionem particularis erga Serenissimam Domum suam Regni hujus propensionis continuis probatæ argumentis & effectibus conservare dignatur, eandemque in occurrentibus occasionebus ipsâ realitate testari intendit: Unde certam reddere possumus M^{tem} V^{ram}, ejusmodi gloriosis mediis Nos & Ordines Regni ad omnimodam reciprocationem pertractum iri. De cœtero ad Notificatorias die 28. mensis Maji scriptas, datis jam ad easdem Responsoris Nostris, ad præsens nihil superaddendum æstimantes, M^{ti} V^{rae} omnigenam prosperitatem à Deo precamur. Dabantur Ridzyna in Majori Polonia, die XXXI mensis Augusti, anno Domini M DCC XIV. Regni verò Nostris XVIII. Anno.

Ad Regem Prussiae.

FRIDERICUS WILHELMUS REX BORUSSIAE

&c. &c.

CUm M^{tas} V^{ra} Litteris suis 18^{ta} Augusti ad Nos scriptis difficultates Nobis exponere voluerit, quæ ipsi impedimento fuere, convocatô Ordinum Reipublicæ Consilio Legationem suam ad recipiendum hic unâ Nobiscum suo & inclytæ Reipublicæ nomine suctum per Fœderis Tabulas ab Ordinibus Regni Nostri Borussiae Homagium eventuale decernere, Noster etiam apud Eandem Ablegatus Extraordinarius, Löllhöffel de Lövvensprunck, recentioribus eâ de re à M^{te} V^{ra} ad Nos allatis literis plenius Nos edocuerit, è re communi visum Nobis fuit, Maj^{ti} V^{rae} hisce amicè & fraterne testari, prædictum illud Juris Sui atque ipsius etiam Reipublicæ in hoc casu exercitium non minus molestum dolorique Nobis fuisse, quàm ardens votum nostrum fuerat, adveniendi illi Legationi propensionem nostram sincerrimam in facilitandis promovendisque amicissimæ Gentis commodis luculentius pandere, prout etiam, ut hæc fors optata Nobis obtingeret, Nos officio nostro ad præscriptum Pacto-
 rum

rum nulla in parte defuimus, quin imo, dum jam primis Invitatoriis Nostris die 28^{ta} Maji ad M^{tem} V^{ram} datis, quibus Eidem constitutum Homagii terminum ad diem decimum mensis præf. Septembris significaverimus, illud abunde implevisse certum esset, ex superabundanti adhuc secundas Invitatorias de dato XI^{ma} Augusti in eundem finem M^{ti} V^{rae} insinuari fecimus, præfatumque Ablegatum Nostrum Extraordinarium non alia de causâ, post felicem M^{tis} V^{rae} intra fines Regni sui reditum, ad Eandem Varsoviâ Rydzynam excurrere iussimus, quam ut illam, quam literis ab Eadem maturari expetivimus, Legationem ipse etiam cum debito erga M^{tem} V^{ram} cultu coram oretenus urgeret.

Cum verò cardo rei in eò jam versetur, ne, dum Actum Nostrum Homagii ob imprævisa & tantum non in ipso termini articulo incidentia Reipublicæ obstacula non concurrentibus M^{tis} V^{rae} & Reipublicæ Legatis, Nobis id summopere dolentibus, hodie expediri contigerit, illa Legationis ex parte M^{tis} V^{rae} & Reipublicæ absentia ipsorum Juri in Pactorum legibus fundato fraudi sit aut detrimento, prout etiam M^{tas} V^{ra} literis suis die XVIII Augusti ad Nos datis in casum illum id sollicitè præcavere, in eundemque finem ipsam illam absentiam tanquam non studiosam

diosam & quæsitam, sed per se innocuam & non nisi per temporum horum difficultates causatam declarare, muneris sui Regii Paternæque ad conservanda Reipublicæ Jura curæ suæ duxerat; Nos innatâ Domus Nostræ æquanimitate, indelibilique ad bene merendum erga amicissimam Gentem Polonam studio animati non potuimus non, quin illam Maj^{tis} V^{ræ} sollicitam & amicam præcautionem pleno affectu æquissimoque animo admitteremus, prout etiam hisce præsentibus ut validam, æquam & justam usque eò admittimus, solenniterque admissam declaramus, ut, etiamsi jam præfatus Homagii Actus hodie absentibus M^{tis} V^{ræ} & Reipublicæ Legatis expeditus fuerit, illa tamen Legatorum eorundem non spontanea, sed casualiter effecta absentia, intermissaque hac vice facti ad Legis formulam Homagii eventualis receptio, neque in præsens neque in futurum, in derogationem ullam Juris successionis eventualis Maj^{tis} V^{ræ} Inclytique Poloniæ Regni in Regnum Nostrum Borussiae trahi vel debeat vel possit. Imo verò, ut Maj^{tis} V^{ræ} Inclytæque Reipublicæ candorem, rectitudinem & integritatem affectus, propensionis & studii Nostrum inviolabilis ad fulcienda, firmanda & promovenda Gentis amicissimæ qualiacnnque jura, commoda & utilitates eò prolixius & quàm validissimo argumento testatam reddamus, id adhuc peculiare circa receptum

I

hodie

hodie Homagium Nostrum prospeximus, ut ad splendendam illam Maj^{ties} V^{rae} inclytæque Reipublicæ non spontaneam intermissionem, solo intuitu indemnifandi Juris ipsorum eventualis foederum legibus sanctissime firmati, atque à Nobis Domoque Nostrâ Regiâ ad feram eamque ultimam posteritatem religiosissime & inviolabiliter conservandi, formula juramenti ab Ordinibus Regni Nostri suscepti peculiari clausulâ extensa fuerit, eosdem nullam aliam, quam quæ Pæctis Vela- viensibus stabilita dudum fuit, successionem, successionisque illius inibi præscriptum ordinem in ævum agnituros, ita, ut hac ipsâ juramenti Nobis præstiti extensione cum prædicta Pæcta tam solenniter etiam Regum Regniq; Poloniæ successionem eventuales fundaverint, quasi idem perfectum impletumque fuerit, ac si præentes M^{ties} V^{rae} Reique publicæ Legati suum peculiare juramentum ad formam Pæctis expressam ab iisdem actu exegissent. Nos certe illud juramentum hoc modò ad mentem foederis provide extensum unum pro duobus præstitum, & pro utroque in æternum valiturum solenniter ex parte Nostra declaramus, reservatò plenissimò Majestatis V^{rae} inclytæque Reipublicæ jure, circa futuros successionis Casus, alterius peculiaris Juramenti exaëctione, ac olim consueverat, liberrime semper procedendi, indubii quoque sumus, hoc sincerissimo voluntatis, fidei reli-
gionis-

gionisque Noſtræ argumentum, prout perfectius à nobis excogitari nequiverat, juſto pretio apud M^{te} Vram Gentemque generoſiſſimam habitum iri, atque illud iſſis perenni ſtimulo fore, plenitudinem Noſtræ propenſionis pari ſemper & erga Nos Noſtramque Domum Regiam exæquandi. De cætero Maj^{ti} V^{re} omnigenam proſperitatem & auſpicatiſſimos ſine interruptione ſucceſſus animitus apprecantes. Dabatur Regiomonti Boruſſorum, die XI^{ma} Septembris. Anno à Nato Chriſto, M DCC XIV, & Regni Noſtri ſecundo.

Ad Regem Poloniae.

Furamenti Solennis Formula, in præſtitò undecimâ Septembris die 1714. Regiomonti Boruſſorum Homagio adhibita.

Juro, ſpondeo & promitto Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi, Domino Friderico Wilhelmo, tot. tit. Domino meo clementiſſimo, ſupremo & hæreditario Regi ac Domino, ejuſque Regiæ Majeſtatis Hæredibus maſculis, & poſt fata illorum Sereniſſimo Regi & Regno Poloniae, utpote quibus

in Regno hoc Borussiae juxta tenorem Pactorum Velavientium succedendi jus est, tanquam unicis meis veris, immediatis, hæreditariis & supremis Dominis me fidelem & obsequentem futurum; Regiæ suæ Majestatis ejusve & reliquorum prædictorum successorum, casu eveniente, commoda & bonum promoturum; à Regia sua Majestate & omnibus Ejus ditionibus, territoriis & subditis damna quæcunque & detrimenta, quantum fieri potest & in me est, præpediturum, moniturum esse & aversurum, omni meliori & eò nimirum, qui pium & fidelem decet subditum, modò, nec proinde commissurum, ut quidquid istud fuerit, aut ab hominum unquam mente excogitari possit, abstrahere me inde valeat. Ita me Deus adjuvet, per Dominum nostrum Jesum Christum, Amen!

Augustus Secundus Rex Poloniæ &c.

PErgratæ Nobis ac acceptæ fuerunt Maj^{ties} V^{re} ad Nos die undecima Septembris exaratae literæ, quarum sensus ac mentem cum probe perceperimus, non possumus, quin M^{tu} V^{re} propter testatum candorem & integritatem affectus, propensionis

tionis & studii erga Nos inclytamque Rempublicam
Poloniæ, gratiam habeamus.

Non pacta inter Nos inclytumque Poloniæ Re-
gnum serenissimamque M^{tis} V^{rae} Domum antiquitus
conclusa ac renovata, non in ipsissimo nuperrimi Ho-
magii actu in Prussia, a M^{te} V^{ra} ne id nostro ac Rei-
publicæ Juri fraudi sit ac detrimento, adhibitæ solli-
citæ ac amicæ cautiones, non apta ac conveniens,
præsenti rerum concursu, mutuorum consiliorum so-
cietas ac necessitas solummodo, sed & reiterata sæpius
ac confirmata M^{tis} V^{rae} erga Nos infucati amoris ac
sinceri studii testimonia a Nobis contendunt & effla-
gant, ut quacunque datâ occasione tot & tantis
significatis Nobis ac Poloniæ Genti amicitiae argu-
mentis, jure meritoque parique studio ac propensione
respondeamus, prout etiam & proclivitate animi &
officiorum religione ad id adducti lubentes omnia
curabimus & præstabimus, quæ ad M^{tis} V^{rae} explenda
desideria in ipsius negotiis conducere poterunt, ac ut
in eo partes Nostræ nullo modo desiderentur, non
omitemus, eadem apud Ordines Reipublicæ autori-
tate Nostra promovere, omni studio fulcire ac com-
mendare, & in hac occasione, ut & in omnibus quæ
se obtulerint, sinceri Nostri studii & animi erga M^{tem}
V^{ram} affectus indubitata specimina edere. De cæ-
tero

tero M^{ti} V^{rae} omnigenam prosperitatem & auspiciatissimos rerum successus animitus apprecamur. Dabantur Warsaviae, die 29. mensis Novembris, anno Domini M DCC XIV. Regni vero Nostri anno XVIII.

Ad Regem Borussiae.

Monfieur.

Jai vû avec beaucoup de mortification par le Memoire, que Vous avés dernièrement delivré au Roy de Pologne, & que Sa Maj. a eû la bonté de me communiquer, les sinistres impressions, que l'on a taché de Vous donner touchant mes sentiments & la contenance, que J'aurois tenu jusques icy envers la Couronne de Pologne. La chose qui Me console le plus dans cette occasion, c'est qu' après un examen plus attentif, que J'ay fait des points, que l'on Vous a voulu insinuer contre moy, Je trouve, qu'il n'y a presque rien de fondé à tout cela, & que les Faits, lesquels on M'a voulu charger auprès de Vous, se trouvent si fort éloignés & contraires au veritable Etat des choses, que l'on voit clairement, que tout cela

cela n'a été inventé, que pour éloigner vôtre cœur & vôtre amitié de Moy, & peut-être même pour s'ouvrir par là un chemin à brouiller les affaires entre la Pologne & Moy, & pêcher alors en eau trouble, pour parvenir d'autant plus aisément aux veûes d'un intérêt particulier & nullement compatible avec celui de la République qu'on peut avoir &c. Je suis aussi bien aise, que ces gens-là se sont voulu adresser avec leurs finesse à Vous, Monsieur, dont la prudence la droiture & les lumieres sont connuës à toute l'Europe, & par les moyens desquelles Vous demélerés mieux que qui que ce soit, ce qu'il y a de vray & de faux à tout cela, pour en faire un discernement juste & équitable. Pour Vous mettre d'autant mieux aussi au fait de tout cela, j'ai fait ce que je devois, & ce que Vous me demandiés même par vôtre Memoire, à savoir de représenter tous les Articles, dont on M'a accusé auprès de Vous, dans leur situation naturelle, & d'y repondre sans aucun deguïsement ou artifice afin que Vous & toute la terre raisonnable voye & sente, que l'on M'a fait tort auprès de Vous, & que Je suis incapable d'entrer dans aucune demarche contraire à l'honneur & aux droits de la Nation Polonoïse, pour lesquels Je voudrois plutôt s'crier toujours mes plus cheres interêts, & faire avec plaisir tout ce qui m'est possible, pour me conserver son amitié & la bonne & parfaite intelligence, dans laquelle Je souhaite toujours de vivre avec Elle. Mon intention n'est pas pourtant, que Je veuille, au cas que Vous croyez avoir encore quelque réplique à faire à ma reponse, ne la pas admettre ni l'écouter. Je propose plustôt dans ma réponse, & Je suis bien aise, de Vous le repeter aussi, que si les raisons, que j'allègue pour justifier mes actions, ne Vous donnoient pas toute la satisfaction, que Vous croyés Vous être duës, je suis prêt de ne me servir pas seulement de la voye des Commissions prescrite dans le Traité de Velau, mais même d'employer pour l'entiere composition de ces griefs l'interposition de quelques Puissances impartiales, choisies pour cela de Vous & de Moy, & par laquelle il sera impossible, que

nous

nous ne sortions entierement d'affaire. Il ne me reste qu'une seule chose à souhaiter encore de vous, c'est qu'en attendant & jusques à ce que Sa Maj. le Roy de Pologne & Vous me fassiez savoir Vos sentiments & vôtre resolution sur des demandes si équitables que Je Vous fais, Vous veuilliés bien Vous depouiller de l'opinion, qui semble regner presentement chez Vous à savoir, que Moy ou quelque autre Puissance Protestante soit d'intention de venir à une guerre, ou à quelque autre chose de violent contre la Pologne; à quoy Je Vous proteste, qu' aucune de ces Puissances n'a jamais pensé, dans la ferme esperance, que dans les affaires de Thorn, & autres qui regardent la religion, le Roy de Pologne, Vous & un si grand nombre d'Illustres & sages Senateurs ne manquerés pas de Vous determiner à des expedients justes & raisonnables, par lesquels ni la gloire de la Nation, ni les Constitutions de Votre Couronne ne souffient point, & qui donnent pourtant lieu à Moy & à tout le Parti Protestant, de Vous en temoigner nôtre reconnoissance, & de Nous attacher toujours plus fortement à ce qui est du bien de vôtre Patrie, & de l'ineestimable conservation de vôtre liberté.

C'est toujours à quoy je M' appliquerai le plus serieusement, & en même tems à Vous temoigner par tout, que l'on ne sauroit être avec plus d'estime & de consideration, que Je le suis

Monieur

Vôtre veritable & bien bon Amy
pour toujours.

Berlin le 6. de
Nov. 1725.

A Monsieur l'Archevêque de Gnesen,
Primat de Pologne & de
Lithuanie.

